



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 175. Mutuæ cædes ac Vastatione inter Ferdinandi, & Venetorum copias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. modo sese minus attemperare possent, A. C. 1617. crebris partim funeribus, partim frequenti ad hostium castra transfugio tantopere rarecebant, ut ad nil exitium aut illustre gerendum utiles essent, & reliqua exercitus parte aut dilapsa aut misere pereunte ipsemet Princeps Nassovius febre correptus, atque Utinum deportatus, ibidem decederet. Ejus Corpus Veneti in Templo S. Salvatoris reponi curarunt, Oratore Hispano, ne id a Monachis reciperetur, incassum hortante.

§. CLXXV.

Mutuae cædes ac vastationes inter Ferdinandi, & Venetorum copias.

Merc. Gallob. tom. II. l. 4. & tom. 12. l. 1. Ferrer. Hist. Hisp. tom. II. art. 2. Hæc tamen auxilii frustratio nullatenus ex alta gloriosæ ultionis spe Venetos dejecerat; cum enim Uscochos aliquot in oppido Sanservulo hæerere cognoscerent, misso exercitu eos partim trucidarunt, partim in ædibus suis combusserunt, Austriacos quoque, qui munitionem, Sancti Michaelis dictam, occupare moliebantur, cæsis eorum centum sexaginta, repulerunt. Vicissim Uscochi circa vigesimam Aprilis diem navibus aliquot Venetis expugnatis, aliis quatuor direptis, & tribus submersis, quarta vero Triestam secum abducta

ducta plusquam duodecim aureorum ^{Sæc. XVII.}
 millia recuperarunt: aliam quoque, ^{A. C. 1617.}
 quæ Constantinopolin versus pro more
 tendebat, expugnantes, præter mer-
 ces plurimas, & tria coronatorum mil-
 lia abduxerunt, Arbiæque Veneto-
 rum Insulam misere vastarunt, incolis
 cæsis, abactisque pecoribus. Præterea
 exeunte Mense Aprili Tampierius Co-
 mes cum suis Gradisca erumpens, tru-
 cidatis Venetorum quamplurimis cum
 duobus vario comœatu onustis curri-
 bus in Urbem reversus est, ad quam
 Austriaci die vigesima, tertia Maij
 copiosam intulerunt farinam; prius ve-
 ro cruentam cum Venetis iniere pu-
 gnam, qua trecenti circiter cæsi, plu-
 rimique capti fuere, desiderato etiam
 Horatio Puglione primario Præfecto,
 aliisque Tribunis: die autem septima
 Junij Trautmansdorffius tormento per-
 cussus obiit, suffecto in ejus locum
 Balthasare Maradæo: Accepto hoc
 nuntio Veneti Gradiscæ obsidionem ve-
 hementius urgentes, propugnaculum
 tam arcte cingebant, ut vix ullus ad
 illud aditus pateret, quo cognito Au-
 striaci inito certamine Venetos tam dex-
 tere ab eo diduxerunt, ut ab altera
 parte validas propugnaculo suppetias
 impune inferre possent: unde Venetis
 tantum illatum est damnum, ut vin-
 dicta

Sæc. XVII. dicta accensi urbem continua tormen-
 A. C. 1617. torum explosione acriter quaterent, &
 ferme ad deditiois necessitatem redi-
 gerent: quocirca Triestensi Episcopus
 tempestive Petrum Toletanum Medio-
 lani Governatorem urgebat, ut e ditio-
 ne sua in Venetos erumpens, illos ad
 distrahendas vires suas compelleret.

§. CLXXVI.

*Pacis consilia ab Hispaniæ Rege
 proposita.*

Ferrer. Hist.
Hisp. art. 2. Cum interea hostiles copię cædere
 mutuo, cadereque pergerent, nec
 armorum inter strepitus salubria Pon-
 tificis Maximi, nec Franciæ Regis con-
 silia pacis audirent, Philippus III. Hi-
 spaniæ Rex pro componendo hoc bello
 Madriti omnem impendit operam: Ea-
 propter per suum Legatum pacificatio-
 nis conditiones die sexta Septembris
 Parisiis, sollicitantibus Ludovico XIII.
 Rege, & Guidone Bentivolio Papæ
 Nuntio, per Venetos Oratores, necnon
 Cæsaris Legatos ratas haberi consti-
 tuit, easque die vigesima prima Octo-
 bris ad Rempublicam Venetam trans-
 misit: Erant autem sequentes. I. Præ-
 sidio Germanorum militum ad Zengam
 introducto confestim locus aliquis in
 Istria Zengensibus vicinus a Venetis
 resti-